



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

IV. Præcipuum est sustinere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

IV.

*Præcipuum  
est sustinere.*

In agendo est virtutum plurimarum exercitatio: in abstinendo fuga plerorumque vitiorum. Qui utramque hanc officii sui partem persolvit, implēsse illud videatur Regii Vatis Psalmo 36. *Declina à malo, & fac bonum.* Nondum tamen partes omnes collegit perfectæ voluntatis. Superest tertia, eaque difficillima, ut eventa quælibet, quantumvis reluctante naturâ, conformiter divinæ voluntati excipiat. Qua in re ingentibus animis sæpissimè opus est: ut & mala, quæ abhorrebat, ingruentia fortiter toleret; & bona, quæ expetebat abeuntia æquanimitè dimittat. Id ubi perfecerit: tum demum pronuntiabimus, consummatum ab illo totum opus Domini. Christus Domini, Salvator noster, qui didicit & docuit, ex iis quæ passus est, obedientiam, exhausto ad extremam usque guttam calice passionis, toleratis omnibus quæ divinum consilium decreverat fieri, dixit denique moribundus, *Consummatum est.* Egerat semper quæ placebant Patri, quia Unigenitus

genitus

OPTIMÆ CONSENTIENS. 7

genitus erat ex sinu ejus : abstinerat ab omnibus, quæ illi displicebant, quia peccare non poterat : nec tamen potuit dicere, *Consummatum*, donec omnia DEI voluntate constituta sustinisset. Consummata enim virtus, & absoluta perfectio, in sustinendo magis est, quàm in Agendo, vel in Abstinando.

v. *Tolerantia necessitas.* Ingeniorum ac morum perpetua mobilitas ubique ferè frequentem componendi corporis mutationem solet inducere, alibi tamen atque alibi sæpiùs. Si in publica ejusmodi mutatione videas amicum novâ vestium formâ indutum, aut capillitio sibi dispare, & sciscitère, unde isthoc: unum hoc respondebit, Jam moris est. At unde mos enatus? A Rege cæptus, ad aulicos emanavit: ex aula in plateas derivatus, ad officinas denique & caulas ipsas effluxit. Ita avorum nostrorum memoriâ, cùm Galliæ Rex Franciscus curando vulnere capillos posuisset, certatim aulici exemplum secuti, & mox Gallia universa comata esse desuit, donec alio habitu Princeps